

F. L. S. N.

Specimen Theologicum,

De

*Notitia Irregenitorum*

In

*Rebus Sacris,*

---

Quod

*Consensu Summe Rever. Facult. Theol.*

Præside

D:no CHRIST. CAVANDER,

S. S. Theol. Prof. Prim. & Archi-Prep.

*ad publicum examen defert*

DIETERICUS JOHANNES LOHMAN,

Collector Schol. Cathedr. Aboëns.

*Horis ante meridiem consuetis,*

*In Audit. Maj. die XIII, Nov. An. MDCCXC.*

---

ABOË, Typis Frenckellianis.



## *Proæmium.*

**S**pecimen edituri Theologicum, ab re non magis esse, de notitia agere hominis irregeniti Theologica, nobis vîsum fuit, quam de alio quodam argumento Theologico. Veritas quidem cœlestis in se una eademque semper est, eam vero omnes sibi perspectam vix habent; qui autem expertes ejus notitiae non sunt, haud exigua etiam inter hos veritatis confessores discrepantia reperitur, & suum cuique verissimum videtur. Quamvis ergo, nostro novitatis audaciumque opinionum Theologiarum feracissimo ævo, eam de dogmatibus religionis Christianæ pluribus, veram nostram perpetuamque felicitatem, proprius vel remotius spectantibus, multi sibi su-  
mant sentiendi licentiam, quam quisque antiquæ probæque veritatis amicus dolens jure miratur, nec quidquam fere pro bono aut vero habeant, nisi novum oleat, quo solum respectu aliquem ingeniosum esse putandum sibi imaginantur; satius tamen duximus qualescunque de argumento nominato meditationes publico examini submittere, quam novis singularibusque cogitationibus proferendis famam venari velle. Nec quisquam existinet, lites de hac materia, & aliis cum ea connexis, justo vehementius in controversiis notissimis ad finem superioris

ris & tertiam circiter partem præsentis sæculi in primis motas, nos jam resuscitatas cupere. Absit omnino hoc! Sed recurrat saepius nostris quoque diebus hæc quæstio, de qua igitur statuere, quid recte tenendum, utilitate nequaquam caret. Neque tamen plenam ejusdem expositionem aliquis hic exspectet, limites quippe præsentis instituti id non permittunt. Sufficiat nobis de argumento hoc vexatissimo, quid cum Sacris Litteris iisque innixis rationibus Theologicis consentaneum putemus, breviter & strictim dicere. Favorem Lectoris Benevoli in conatu hoc innoxio æstimando, qua decet modestia nobis rogatum volumus.

## §. I.

Qui in historia certaminum Theologicorum vel mediocriter versatus est, minime ignorat, controversias hujusmodi plures, magnis satis animorum motibus suo tempore agitatas, vel tanti momenti postea non fuisse repertas, ac primum videbantur, vel in λογοπαχλαι, modo in totum, modo qua magnam partem, abiisse. Nec aliter cum præsenti materia comparatum fuit. Ne igitur in idem incurramus vitium, mox in limine hujus disquisitionis observandum, voces, quibus in doles notitiae mysteriorum Divinorum tam irregeniti quam regeniti hominis exprimitur, plures admittere significatus. Scilicet de irregenito in primis queri solet, an notitia ejus in rebus Sacris sit vera, supernaturalis, viva, efficax, spiritualis, utilis ac salutaris? Horum autem vocabulorum sensus & laxior & strictior esse potest, immo in Scriptura Sacra, ac scriptis Theologorum ita adhibentur. Quare, pro diverso eorumdem usu, aliter fieri non potest,

quam ut alii de qualitate notitiae rerum spiritualium in  
 homine irregenito id affirment, quod alii aperte satis  
 negant. Quum autem de veritate hujus notitiae præci-  
 pue disputatum fuerit, & reliquæ ejusdem affectiones no-  
 minatae ab hac maxime pendeant, de eadem primo pau-  
 cis agendum. Vera scilicet dicitur notitia Theologica,  
 quando conceptus hominis verbum Dei legentis vel au-  
 dientis cum mente Supremi Auctoris, per vocabula Scri-  
 pturæ Sacrae declarata, re ipsa convenientiunt. Est hæc veri-  
 tas, quam Logicam seu subjectivam vocant eruditæ, &  
 multi Theologi quoque simplicem, litteralem, discursi-  
 vam, apprehensivam atque idealem promiscue appellant.  
 Hanc sine veritate Metaphysica seu objectiva dari non  
 posse, ex ipsis notionibus evidens est; Logica enim ve-  
 ritas conformitatem cogitationum cum essentia rei seu  
 objecti, h. e. veritate Metaphysica denotat. Quando igitur  
 vel ultro conceditur, vel firmiter demonstratur, irre-  
 genitum sensu Logico veram in rebus Divinis habere  
 posse notitiam, simul fatendum, eandem etiam Metaphy-  
 sice veram esse, h. e. non solum cum objectis ipsis &  
 verbis Scripturæ Sacrae conformem, sed & iis virtutibus  
 in se ornatam, quæ ex intentione Primi Auctoris reve-  
 lantis essentiam cognitionis vere Theologicæ absolvunt,  
 ea nimirum vi ac efficacia instructam, qua fines illi obti-  
 neri possunt, propter quos optimum Numen verbum  
 suum nobis dedit, licet ipsi fructus & effectus non sem-  
 per simul adsint, qui ex mente Dei cum vera cognitio-  
 ne connexi esse deberent. Quod ad distinctionem atti-  
 net inter conformitatem notitiae cum verbo Dei mate-  
 rialem & formalem, qua in hac controversia usi sunt,  
 priorem irregenito concedentes, non vero posteriorem,  
 ea nequaquam rem conficit. Neque enim forma noti-  
 tiae practicæ id involvit, ut semper actu ipso practicetur,  
 cum

cum practicum quid dicatur non tantum respectu applicationis & actu secundo, sed etiam ratione intentionis, potentiae, ac actu primo. Quo posteriori respectu notitia hominis irregeniti Theologica quoque practica dicitur. Et quando hujusmodi homo, Sacram Scripturam legens, meditans, vel veritates ejus sibi proponi audiens, notiones de rebus Divinis Scripturæ Sacrae conformes animo concipit, atque eo modo verum ejus sensum seu cognitionem Logice veram tenet, quam neque principui in hoc certamine ei denegarunt; tum hæc materia Scripturæ Sacrae forma sua non destituitur, sed τὸ formale verbi, quod sit sapientia Divina per signa externa declarata, simul ab intellectu hominis percipitur; ex ordinatione enim Divina vis atque efficacia in se cum verbo inseparabiliter unita est.

## §. II.

Ne autem generalibus his principiis abstractisque propositionibus nos nimis inhærere, & terminis ac distinctionibus scholasticis justo plus delectari quis dixerit, jam veram rerum Sacrarum notitiam irregenito quoque tribui debere, paucis probabimus. Ethnici veram aliquam cognitionem habere, Scriptura Sacra docet Rom. I: 18. De hominibus vero intra Ecclesiam constitutis notissima sunt verba Salvatoris Luc. XII: 47. ἐκεῖνος δὲ ὁ δοῦλος ὁ γνωστὸς τὸ θέλημα τοῦ κυρίου ἔσαντος, καὶ μὴ ἐποιήσας μηδὲ πηῆσας πρὸς τὸ θέλημα αὐτοῦ, δαρέγεται πολλάς, quod certe optimus justissimusque Servator non dixisset, nisi servus ejusmodi, officium suum non faciens, voluntatem domini sui vere scire posset, vel quod idem est, nisi veram rerum ad salutem pertinentium scientiam irregenitus caperet. Ex Act. XXVI: 26. seqq. patet, Regem Ag-

grippam miracula per Jesum & discipulos suos facta no-  
 visse, Prophetis credidisse, & per Apostoli Pauli concio-  
 nem eo usque perductum fuisse, ut parum abesset, quin  
 actuali conversione fieret Christianus; quis ergo jure ne-  
 gabit, eum veram de rebus Sacris habuisse notitiam. I-  
 dem Apostolus aperte ait Rom. X: 17: *η πίστις ἐξ ὄντος η*  
*δὲ αὐτὸν διὰ ἔγγυαρος Θεοῦ*, unde recte concluditur, homi-  
 nem adultum, antequam regeneratur, verum verbi Dei  
 sensum consequi & posse & debere. Is enim est nexus  
 partium justificantis fidei, ut posterius semper prius in-  
 cludat, fiducia assensum, assensus notitiam, nec vera exi-  
 stere possit fiducia sine vero assensu, neque assensus ve-  
 rus, nisi præcesserit vera notitia. Homo autem non no-  
 titia & assensu proprie regeneratur & justificatur, sed fi-  
 ducia; priores igitur partes in homine nondum regene-  
 rato vere reperi possunt. Qui adhuc generalius totum  
 conversionis ordinem exacte perpendit, eamque novit  
 non in momento sine omni cognitione, nec per aliquam  
 falsam, neque veram naturalem, aut aliquam immediate  
 intusam cognitionem peragi; certe aliam non potest fo-  
 vere sententiam, quam quod vera multiplicis propriæ  
 miseriae cognitio in homine esse debeat, si verus in eo  
 poterit oriri peccatorum dolor, & vera pariter gratia Di-  
 vinæ, passionis mortisque Salvatoris notitia, si fiducialis  
 progeneretur Ejus receptio, h. e. si homo credere possit,  
 ob solum Ejus meritum se salutem consecuturum esse.  
 Concesso quoque, regenitis de rebus stricte practicis ma-  
 gis distinctam, certam, plenam ac fœcundam cognitio-  
 nem esse propriam: non tamen irregenitorum notitia  
 partialis ideo est falsa. Quid multis. Nonne Christus &  
 ejus Apostoli populos conversuri eum in finem verbum  
 Dei prædicarunt, ut veram articulorum fidei fundamen-  
 tolium notitiam animis irregenitorum insererent? Jac. I:

21. Nonne Libri nostri Symbolici aliqui Theologi diligenter Actuum Pædagogicorum observationem convertentis commendant? Nonne eundem tota nostra Ecclesia sequitur morem, eos, qui ad fidem adducantur Christianam, & remissionis peccatorum ususque Sacrae Cœnæ fiunt participes, ad veram sacrorum notitiam & ejus confessionem prius adstringens? Hæc & multa alia satis evincunt, irregenitos veræ rerum Sacrarum notitiæ vere participes fieri posse. Illos igitur Theologos & oratores Sacros non possumus non notare, qui, ut alia taceamus, haud raro adhuc in contrariam partem adfertre solent verba Apostoli Pauli notissima ex I. Cor. II: 14. *ψυχής δὲ ἀνδρῶνος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ μαρτία γεγονότω ἔστι, καὶ οὐ δύναται γνῶναι, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται.* Sibi autem non constant, nec perpendunt, quantum inde damni proveniat, quod modo ab auditoribus suis non conversis postulent, ut diligenter verbum Dei legant & meditentur, eum sine dubio in finem, ut inde veram rerum ad conversionem peragendam necessariarum cognitionem sibi comparent, modo vero, vel necessitatem illuminationis Spiritus Sancti inculcantes, vel regenitorum notitiam extollentes, oblii alias dictorum, omnem prioribus ex verbo Dei voluntatem ejus recte cognoscendi potentiam denegant, effatoque Apostoli alato sententiam suam confirmari putant. Multæ & magna omnia de vero hujus dicti sensu fuerunt disceptationes, *ανάθετα* tamen orationis, inde a Capitis I: v. 17. usque ad finem hujus Capitis II: satis fvatet, per hominem *ψυχήν*, oppositum *τοῖς τελείοις* v. 6. *πνευματικῶς* v. 13 *τὸ πνεύματικόν* v. 15. talēm intelligi, qui revelatione supernaturali destituitur, vita naturali (*ψυχή*) prædictus, dum naturæ seqvens, viribusque intelligendi naturalibus utens. Qui autem verbum revelatum habet, illud audit, legit,

legit, meditatur, & informationi Spiritus Sancti per idem aliquem locum dat, irregenitus (*αργητός*) quidem adhuc esse & manere potest, non vero amplius mere ψυχή existit, sed ex parte jam πνευμάτως, sub gratia Spiritus Sancti præveniente, vocante, excitante, immo illuminante & præparante constitutus, licet, quarendiu κατὰ τὴν ψυχὴν de σοφίᾳ Θεοῦ ἐν μυσηστῶ, τὴν ἀποκεντρωμένην v. 7. de τῷ λόγῳ τοῦ σωτῆροῦ Cap. I: 18. judicat, ratiōnesque abutitur, μογλα ei sit, motibus quippe naturae animalibus obsequens, ac rerum terrenarum cupiditatibus, corporisque voluptatibus inhians. Recentissimas de hoc loco cogitationes lege sis in *Doederleinii Aus. Theol. Biblioth.* Vol. II. p. 391-395. ubi *observationes ad dictum Paulinum i Cor. II: 14. ejusque usum dogmaticum*, Praef. Phil. Jac. Müller S. S. Th. P. Resp. J. Z. Roser, Argentorati 1781 editæ, recensentur.

### §. III.

Veram hanc irregenitorum notitiam etiam supernaturalem & divinam esse, is non negabit, qui perpendit, æque hanc ac regenitorum cognitionem non ex principiis naturalibus, ratione & experientia, sed ex revelatione Divina externa hauriri Math. XVI: 17. Ut autem ratione principii naturalis appellari neqvit, ita nec illis assentiri possumus, qui eandem non gratiæ sed naturæ deberi ideo magno nisu contendunt, quod irregenitos totam fidei αναλογίαν solis viribus mentis naturalibus, studio & diligentia humana, absque gratiolo Spiritus Sancti concursu, ex Scriptura Sacra sibi comparare posse, eamque ob causam notitiam illorum non Theologiam, sed Philosophiam rerum Theologicarum, non subjective gratiosam, supernaturalem & divinam, sed abiolite in es-  
tentia

ientia sua humanam & naturalem dicendam esse, putaverint. Modus quidem cognoscendi res spirituales ex Sacra Scriptura per lectionem, auditionem, perceptionem & meditationem, in regenito & irregenito æque est naturalis, quem uterque ratione ut organo utatur. Quando etiam Spiritus Sanctus hominem per verbum instituit, & ad fidem ac pietatem ducere fatagit, certe contra animæ rationalis indolem nunquam agit; gratia enim animæ facultates naturales non destruit, sed elevat & emendat. Neque tamen nondum denuo natorum notitia, propter modum hunc cognoscendi naturalem, quem Spiritus Sanctus homines instituens sequitur, mere naturalis dici debet, quoniam idem de renatorum cognitione hoc respectu pronuntiandum esset, nisi Enthusiasmum aut Fanatismum quis defendere vellet. Studiose præterea cayendum, ne vanis distinctionibus, aut alio aliquo modo, Spiritum Sanctum a verbo suo unquam sejungamus, quod sit, cum per nudam solum πνεύματος Spiritus Sanctus apud verbum esse, non autem nexu inseparabili virtutem ejus verbo contineri statuitur. Tenendum ergo, Spiritum Sanctum, ut causam principalem, per & cum verbo in se efficacissimo Es. LV: 10. 11. Joh. VI: 63. 68. Rom. I: 16. Luc. VIII: 11. I. Pet. I: 23. I. Cor. II: 13. actuosum esse, communem cum verbo in anima etiam irregeniti producere effectum supernaturalem, eandem scil. efficere cognitionem veram. Unde fatis intelligitur, ejusmodi notitiam sine Spiritu Sancti gratiosa per verbum operatione hauriri non posse. Ne tamen contra animæ facultatis cognoscitivæ indolem, verborumque & stili Scripturæ Sacrae perspicuitatem ac simplicitatem quidquam urgere videamur, adhuc addendum, nos facile concedere, per vires intellectus naturales irregenitum veritates historicas, physicas, legales, politicas, alias-

que natura cognitas, in Scriptura Sacra comprehensas, ex verbis Scripturæ Sacrae clarissimis, adhibita attentione intelligere, comprehendere, assentiumque humanum illis præbere posse; sed de mysteriis, ad salutem scitu necessariis, in toto complexu nunc loquimur. Immo, si a Spiritu Sancto cum verbo coniuncto abstrahere liceat, nec de his negamus, hominem sibi relictum, sola naturali facultate & studio proprio, eum verborum sensum, quem secundum constructionem grammaticam fundunt, habere posse, &c, quod voces immediate ac primo apprehensæ enunciant, aliquo modo percipere, seu ut *pii Confessores in Form. Concord.* pag. 662 edit. Lips. afferunt, hominem nondum conversum, ex se & propriis naturalibus suis viribus - - *Evangelium audire, & aliquo modo meditari, atque etiam de eo differere posse.* Quod autem ad sensum Scripturæ Sacrae in rebus Spiritualibus proprie tales, plenum, certum & solidum, atque mysteriorum intelligentiam in totius doctrinæ salutaris systemate ac integra salutis oeconomia attinet, eam foveamus sententiam, hominem ex Scriptura Sacra, per naturalem veritates earumque connexiones perspiciendi facultatem, ad hunc adsurgere non valere, nisi spiritus Sancti mediata operatione per verbum, vi divina & supernaturali instructum, ad sublimiorem hunc usum nobilioremque cogitandi & sentiendi modum extollatur & elevetur; sed ei, respectu solarum virium naturæ, deesse non solum facultatem divina certitudine assentiendi & credendi Evangelio, bona que ibi oblata appetendi, verum etiam illud sine errore simpliciter cognoscendi & comprehendendi: adeoque veram irregenitorum viae salutis notitiam gratiaæ divinae assistenti in solidum deberi, *Jac. I: 17. 1 Cor. XII: 1. 8. 11. Eph. I: 17. 2 Pet. I: 20. 2 Cor. III: 5.* Hinc etiam impii, Scripturam Sacram detrectantes, Spiritui Sancto resistere

stere dicuntur, Act. VII: 51. Cap. XIII: 7. 8. 2 Tim. III: 8. Non permitit ea, cui studeamus breviatas, dicta hæc Scriptura enucleare, nec reliqua quibus assertio nostra nititur, argumenta plene adferre; nervum ergo præcipuum solum exprimamus. Posita licet revelatione divina, inter facultatem tamen cognoscendi naturalem, eamque corruptam, & res supernaturales, nulla datur proportio. Veritates revelatas spirituales, in primis stricte practicas, homò, propter impotentiam quæ ei inest moralè, maxime aversatur, τὸ Φρόνημα τῆς σωκούσ, ἔχεται εἰς Θεόν Rom. VIII: 7. conf. V: 10. VII: 23. Phil. III: 18. Col. I: 21. Omnes natura, talia corda, tales sensus & cogitationes ab Adamo, hereditaria & naturali propagatione consequimur, que secundum summas suas vires, & juxta lumen rationis naturaliter e diametro cum Deo & summis ejus mandatis pugnant. Form. Concord. p. 640. Et p. 662. antequam homo per Spiritum Sanctum illuminatur, ex se se & propriis naturalibus suis viribus -- Evangelium tacitis cogitationibus, ut rem sultam spernit. Significanter ergo de praesenti materia ibid. p. 657 dicitur: etiam si ingeniosissimi & doctissimi homines in hoc mundo Evangelion de Filio Dei, & promissiones divinas de æterna salute legant vel audiant: tamen ea propriis viribus percipere, intelligere, credere, & vera esse statuere nequeunt. Quin potius -- spirituales res i-  
sas -- pro stultitia & meris nugis & fabulis habent, priusquam a Spiritu Sancto illuminantur & docentur. Hoc itaque respectu illud Apostoli: ὃν δέχεται, ὃν δύεται γνῶ-  
ναι, ὅτι πνευματικῶς ἀναγίνεται 1. Cor. II: 14. hic etiam valet. Mentis humanæ cæcæ, perversæ, & Spiritui Sancto resistentis conamina sunt, quod veritatum Evangelicarum sensum detorqueat, contradictiones & absonta in illis expiscari studeat, corrupto suo captui, philautiæ prævæ, effrenis cupiditatibus & affectibus eas accommodet,

variisque aliis objectionibus contra illas insurgat, immo plane destruere saepe conetur, Joh. III: 4 sqq. Act. XXVI: 24. 1 Cor. I: 23. Et quum homo a natura ita sit comparatus, tantum abest, nisi Spiritus Sanctus per verbum ei adfisteret, ut mera propria vi & diligentia consilium Dei de salute hominum ex verbo revelato recte cognosceret. Si vero non alia, quam viribus intellectus naturalibus ex verbo hausta notitia in hominem ante regenerationem caderet, sequeretur, illum per ejusmodi mere naturalem cognitionem converti & regenerari, contritionemque & fidem principium in natura habere, aut effectus hos caussa sua nobiliores esse; quod quam sit remotum a tutissima ista media via inter Pelagianismum & Enthusiasmum, veritatique repugnans, longiori hic non eget probatione.

#### §. IV.

Patet ex dictis, irregenitorum notitiam pluribus respectibus, sensu tamen latiori, spiritualem quoque esse. Et vere divina ac supernaturalis quamvis hominem illuminandi, regenerandi & sanctificandi, ex intentione & virtute Dei simul ei insit idque sine alia ad hanc accedente & a priori essentialiter diversa cognitione ab ipso Spiritu Sancto effecta, utique fatendum, illam certo etiam sensu vivam, validam & efficacem esse, h. e. non solum ratione originis & conceptus, in se, objective & actu primo semper, quia ex verbo Dei interne vivo & efficaci est hausta, sed haud raro ratione operationis quoque & effectus alicujus, saltem conpunctionis Act. II: 37, seu quoad nonnullos gradus subjective & actu secundo, prout magis vel minus homo eidem attendat, eamque levius vel altius in conscientiam penetrare passive permit-

mittat. Neque enim conversio nostra in momento incipit ac perficitur, cuius ne ullum quidem exemplum extraordinarium in Sacris Litteris occurrit; sed successive, uno admisso & recepto gratiae gradu alter sequitur, quod saepe non anno, sed annis, & in multis proh dolor! vix per integrum vitæ spatium efficitur. Hac igitur notitia Spiritus Sanctus irregenitum saepius præverit, invitat, movet, arguit, misericordia suæ commonescat, terret, pluribusque modis ad conversionem præparat, Luc. XV: 18. 20. Act. XXIV: 25. Cap. XXVI: 17. 18. Rom. X: 14. 17. Apoc. III: 20. & quamdiu τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ ἀθετεῖ εἰς ἑαυτὸν Luc. VII: 30. cogit se invitum αὐτοκατάγοντο agnoscere Tit. III: 11. Unde emergit, nec omnes irregenitos omni experientia spirituali, latius sic dicta, carere, in quibus scil. opus conversionis fuit inchoatum, impeditum, rursus renovatum, nec tamen absolutum. Quæ fiduciam antecedunt, & ad vocationem, illuminationem latius sic dictam ac insufficientem, contritionemque pertinent, hi in semet ipsis non tantum sentire possunt, sed saepe qua magnam partem quoque sentiunt, & gratiam aliquam gustant. Multo ergo minus negandum, hanc irregenitorum notitiam in aliis effectus supernaturales producere, eos illuminare atque converttere posse. Rei veritas a rei fructibus differt. Res, quæ ex Scriptura Sacra cognoscuntur, & ab indole cognitionis sunt distinguendæ, manent veræ, & virtutem suam a Deo provenientem retinent, etiam cum ab irregenitis proponuntur Rom. III: 3. Denique addendum, saepius nominatae notitiae indolem postulare, ut in se, actu primo, virtualliter & intensive, ut vocant, semper dicatur salutaris ac salvifica Jac. I: 21. licet non actu secundo, extensive & actualiter, seu quamvis re ipsa salutem homini non conferat, idque ideo, quia secundum illam de erroribus &

peccatis poenitentiam non agit, nec fiducialiter in Christum credit, neque vitam ad normam legis Dei κατά ἔκπλοιον Philem. v. 14. instituit. Ob- quem praxeos defecatum, notitia hæc, in se utilissima, fit & est damnabilis, quod simili a medicamento desumo multi declararunt. Nam illud in se salutare esse agnoscitur, licet initium vel partem valetudinis solum procuret, vel etiam ex accidenti fiat non salutiferum, immo letale. Quo verior, divinior, efficacior & perfectior notitia est, eo graviorem censuram ejus abusus meretur Luc. XII: 47 Jac. IV: 17. Utinam omnes quorum interest ad hoc attenderent! Utinam tantum bonæ conscientiæ ac veræ salutarisque scientiæ singuli haberemus!

## §. V.

Nemo tamen existimet, ex sententia quam explicimus sequi, omnium extra gratiæ statum viventium notitiam rerum sacrarum ejusdem indolis ac aqualem esse. Scripturæ Sacrae & experientiæ quotidianæ admodum es- set contrarium, hoc statuere. De eo locuti sumus, quod, debitibus adhibitis subsidiis, fieri potest & fieri quoque debet, si ad veram animi emendationem homo perveniat. Quando autem consideramus, qualis hominum fide justifica carentium, & in primis in statu securitatis viventium, notitia de rebus ad religionem & pietatem spectantibus communiter sit, negari nequit, eandem, nostris quoque omnis generis lumine cognitionis superbientibus temporibus, plerumque proli dolor! mancam & debilem, ac simul in vocibus mente casis consistentem deprehendi, præcipue in partibus maxime necessariis, ad actus gratiæ applicatrixis pertinentibus, quibus solida, ad veræ virtutis

sis Christianæ exercitium necessaria, in animæ facultatibus producetur mutatio. Nec solum simplici ignorantia Christianismi laborant, sed aliis etiam modis non parum vi-  
tii cognitioni eorum saepe hæret. Occulti in abyso cor-  
dis corrupti delitescent errores practici. Clanculum circa  
fundamentales doctrinas non unius generis serpunt dubi-  
tationes. Falsa præjudicia, reservata & principia practica,  
praxi fidei & verae pietati noxia foventur. Sub dominio  
cupiditatum, a mero sensu humano pendentium, παθητά-  
των, θελημάτων, ἐπιθυμίῶν σαρκῶν Gal. V: 16. 24. Eph. II: 3.  
1. Pet. II: 11. μολυσμῶν σαρκὸς καὶ πνεύματος 2 Cor. VII. 1.  
add. 1 Joh. II: 16. existentes, & voluptate hinc percepta  
fascinari, eamque majoris aestimantes quam felicitatem  
veræ pietatis in hac vita comitem, cuius intimo sensu  
destituantur, non possunt non peccatorum suorum gravi-  
tatem quavis extenuare ratione. Eum in finem peccata  
proæretica cum involuntariis confundunt, talesque de ju-  
stitia & bonitate Dei ac expiatione Salvatoris sibi in animo  
formant notiones, quibus ad immunitatem pœnarum  
divinarum pro infirmitatibus suis sperandam facile inducun-  
tur, licet pœnitentiae biblicæ (*pœnávōis*) veram indolem  
ignoreant, summam ejus necessitatem & possibilitatem tac-  
tis cogitationibus in dubium vocent, & eandem, quan-  
docunque libuerit, extremis quoque vitæ diebus, proprii  
arbitrii esse putent. His & pluribus defectibus notitiam  
eorum, qui apparentium bonorum studiis affectuumque  
impetu ducuntur, obnoxiam esse, ac voluptatum quasi nu-  
beculis intervenientibus obfuscari, 2. Cor. IV: 4. cum  
cordatis Theologis, qui, pio zelo accensi, haec pluribus  
persecuti sunt, ex animo dolemus; nihil tamen hinc se-  
quitur, quod supra dictis repugnaret. Irregenitorum in-  
primis notitiam augeri & emendari, ac impedimenta fa-  
lutaris illuminationis veræque conversionis remoyeri de-  
beret,

bere, per se intelligitur, quum de regenitis quoque valeat, *αὐξάνετε ἐν χριστῷ και γνώστε τὸν νοόν ὅπως νοήσητε ἐν ίδιῳ χριστῷ* 2 Pet. III. 18. Longior solet requiri mora & tractus, antequam incredulus homo, gravi & alto peccati somno sopitus, effugia & latibula, securitatis & incredulitatis suæ fulcra, detegi sinat, *καθαίρεται διχύρωμάτων* admittat 2 Cor. X: 4. scrupulos & objections sibi evelli patiatur, omnibusque fidei articulis ad salutem necessariis firmiter assentiatur. Prærogativas de cetero non paucas notitiae regenitorum prä ea rerum Theologicarum cognitione, & verissima ac solidissima haud raro scientia, quæ in irregenitos cadit, libenter admittimus. Quoad substantiam vero non differunt, nec proprie respectu veritatis, notitia enim in se post regenerationem non fit verior; sed in vera ejusdem applicatione, & inde orta majori circa practicas præcipue veritates claritatis, distinctionis, evidentiæ, certitudinis relativæ & efficientiæ gradu, differentia notabilis consistit. Cum homo per admissions in se mutationes spirituales & supernaturales, ad ordinem salutis pertinentes, vim & virtutem veritatum salutarium experitur, certe hic sensus proprius internus (*αἰσθησις* Phil. I: 9) efficit, ut ea, quæ impedita & obscura olim fuerant, jam in usum conversa, ad conscientiam applicata, ibique obsignata, summopere clara reddantur. Ps. XXXIV: 9. Joh. III: 33. VII: 17. Eph. 1: 13. 1. Joh. V: 10. Et hoc respectu piorum cognitio, excitata illuminatione κατ εξοχὴν sensu biblico ita dicta, a profanorum notitia diversi generis cognitio recte vocatur.

### §. VI.

Omni caret dubio, benignissimum Numen eum in finem verbum suum nobis dedit, ejusque luce mentes no-

nostras collustrari voluisse, ut a poenis peccatorum promeritis liberati, ad sinceram præceptis legis Ejus saluberrimis obedientiam præstandam efficacissime & constanter flectamus, atque ita veræ felicitatis in hac vita participes, spem bene fundatam habeamus de futura, post fata, pleniori beatitate consequenda Joh. XX: 31. 2 Tim. III: 15. Rom. VIII: 24. Si autem præstantissimi hujus finis revera erimus compotes, certe non sufficit scire ea, quæ Summus & Optimus Magister nos docuit, sed ope divina ad id enitendum, ut omnia, eo quem ipse præscripsit modo, ad usum & praxin fidei ac vitæ diligenter referantur, atque ita utrumque Christianismi caput, ψωοῖς & περιγράφεις 4. ἐπιγράφεις καὶ αὐθόνοις Phil. I: 9. in nobis conjunctum sit, quod τὸ τῆς ἐυσέβειας μυστήριον I Tim. III: 16. ἡ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλία I Tim. VI: 3. ἡ ἐπιγράφεις ἀληθίας τῆς κατ' εὐσέβειαν Tit. I: 1. omnino requirit. εἰ ταῦτα ὅδατε, μανδάροι ἔτει ἑαυτῷ ποιῆτε οὐταί Joh. XIII: 17. Practica & experimentalis esse debet viæ salutis notitia, & qui ea sunt prædicti, νοοῖ τὴς Φωτὸς καὶ νοεῖται Luc. XVI: 8. 1 Thels. V: 5. Φῶς ἐν κυρτῷ Eph. V: 8. appellantur, illisque ὡς τέκνα Φωτὸς περιπατεῖν injungitur. Emphatico & prægnanti sensu ea religionis scientia in Scriptura Sacra vera dicitur, quæ eidem non solum est conformis, sed etiam in animo hominis tales produxit effectus, quos Spiritus Sanctus per verbum suum intendit, atque adeo in fruitione rei habetur. Quamdiu vero homo veritatis cognitæ vim salubrem plene non admittit, bonis spiritualibus, salutis nomine comprehensis, æque est privatus, ac is, qui omni caret cognitione. Ut cunque ergo notitia ejus, sensu simplici, sit vera & ampla, quamdiu tamen usus debitus abest, veritas, sensu composito talis, in illo esse negatur, in tenebris versari dicitur, cæcis comparatur, mente obscuratus, perversus,

mendax & stultus vocatur, 1. Joh. II: 3. 4. 9. 11.  
III: 6. IV: 7. 8. 2 Pet. I: 9. Deut. XXXII: 6. Jer. IV:  
22. alia plurima.

Sed plura ut prosequamur, nostri jam non est instituti. Memores potius simus, multa scire parum prodesse, nisi notitiam extendamus ad praxin veri Christianismi, ita ut fidem & caritatem servemus, Deoque irreprehensibiles per omnem inveniamur vitam, a Quo Optimo Maximo omnis vera salus, tam temporalis quam æterna, emanat, Cuique soli sit gloria, in fæcula nunquam terminanda!

---



---